ORATIO GRATULATORIA

Inaugurationi Nobiliſſimi,
Honoratiſſimique Domini,
D^NI *Richardi Cromwelli*
Sereniſsimi Protectoris
Filii Natu Maximi, in Antiquiſſimæ & Inclytæ
Oxonienſis Academiæ
CANCELLARIATUM
Conſecrati, Celebrandæ, ab Autore Deſtinata.

Σὺν Θεῷ Παλδμᾳ. *Pind.*

OXONIÆ,
Excudebat A. LICHFIELD Academiæ Typographus. 1657.

BIBLIOTHECA · REGIA · MONACENSIS

NOBILISSIMO
Honoratiſſimoque Domino,

D^NO *Richardo Cromwello,*

Celeberrimæ OXONIENSIS Academiæ

CANCELLARIO

Perilluſtri, Summam
Felicitatem.

QUòd tenuem hanc opellam meam, (Honoratiſsime Domine) Auſpicatiſsimæ Inaugurationi Veſtræ à me ſtudioſiùs deſignatam, Humaniſsimè perlegeris; Hoc, ſingulari Veſtræ Manſuetudini, & Incomparabili Candori; quòd autem adſpe-

veris, aut unquam videris, illud sanè, Clarissimi Viri, Domini *Thomæ Goodwini* S. S. Theologiæ Doctoris juxtà ac Conciónatoris Academiæ *Oxoniensis* Primarii εὐφημίᾳ, insolidum debeo. Quamprimùm igitur hanc Oratiunculam meam, subitaneo licèt impetu effusam, postea verò properantiùs (quia fortuitò) rescriptam, à Vobis perlectam, Vobisq; fuisse non ingratam, inaudiveram; eandem illam, vel hoc ipso nomine, venustiore tandem charactere expressam, & leviter etiam alicubi interpolatam & auctam, (fiduciæ meæ culpam deprecatus) jam

denuo

denuo benigniori Vestro Adspectui subjicio; eandemque ad suavissimas Vestras manus repentem, nunc ipse venerabundus offero; nullam deinceps occasionem passurus elabi, quâ Honori Vestro velificari possim.

Amplitudinis

Vestræ

Cultor Devotissimus,

JO: HARMARUS.

Datum *Oxoniæ*, ex Col. *Baliolensi* 4. Idus Sextilis. An. Æræ Christi, CIↃ. IↃ. LVII.

INSIGNISSIMO
Honoratissimoq; Domino

D^NO *Gulielmo Sandysio*

Baroni de *Montsfont* in Agro *Hantonienſi*, Fautori ſuo Eximio, Salutem & *Incolumitatem.*

Quoniam propemodum abhinc biennium, JAMAICAM *meam, à me toties elimatam, locupletatam, & deſcriptam; à Te toties itidem expetitam & expectatam; unà cum omnibus ſuis Commodis*

modis, mihi nascentibus, ad Humanam vitam conservandam necessariis; Belluis, putà, Tauris, Vaccis, Equis, porcis, Hædis, Piscibus, Fluvialibus, & Marinis omne genus Littori alludentibus, Arboribus, Radicibus, Fructibus, Dominationi T. excusam sum pollicitus; nec, in hunc diem, liberare fidem meam potuerim; (obstetricium suum Lucinâ denegante) itaque nunc temporis, (ad desiderium Tuum leniendum) (Eruditionis, & Humanitatis Tuæ memor.) pugillum hunc Latinum ad Te præmittere volebam, Gratiarum mearum pignus, Gratitudinis specimen. En ergo Tibi (Spectatissime Domine) oratiunculam meam emaculatius Typis, quàm cala-

mis

mis exſcriptam; mole ſuâ, (nec inſti-cior) exiguam, at obſervantiâ & veneratione erga Nobiliſſimum *noſtrum* Cancellarium, *dixerim, ingentem. Quam, ideo publici juris feci, nimirum, ut per hanc noſtri communis Gaudii Teſtem, privati verò obſequii mei Teſſeram, Dominationem T. (&, exemplo Tuo, complures alios) in Gratulationis Noſtræ partem adducerem. Etſi nihil opus ſit hâc meâ, vel χειρογραφῳ, vel ψυχαγωγίᾳ cùm ad hoc amicum officium, non tantùm* ILLIUS *Meritis excitus, ſed etiã ſuavitate naturæ tuæ, propendeas. Et cùm animo Tuo ſit hæc Oratio uſquequaq; conſona, non poteſt non eſſe Tibi accepta, utquæ fuerit, & ſuſ-*

cepta

cepta, & conscripta, in Ejus Honorem, quem Tu tanti facis, quanti quenquam mortalium. De quo, non ita pridem, (cum essem à Te hospitio receptus, humanitate plusquam tralatitiâ) Te perhonorificè loquentem audivi sæpius; quem, & ob Amorem Ejus, Amas; & ob Virtutem suspicis. Quare tu (Honoratissime Domine) Gaudio nostro Tuum adjicias, i. e. pretium & pondus numerosq; ut Exultatio nostra Tuæ consociata, glorioßius increbrescat. Vale, Generosissime Domine, Compatriotarum Tuorum Amor, Heroïcæ Familiæ Tuæ spes & splendor; Bonarum Literarum Cultor; Literatorum Fautor. Liceat mihi, vel Te invito, Laudum Tuarum

aliquan-

aliquantillum, obiter & quasi cursim, huic appingam

Dominationi

Tuæ

multis Nominibus

obstrictissimus,

JO: HARMARUS.

Datum *Oxoniæ*, ex Col. *Balioleñ* propridiè Idus Augusti. CIↃ. IↃC. LVII.

Dominationi

Tuæ

multis Nominibus

obſtrictiſſimus,

IO: HARMARUS.

Datum Oxoniæ ex Col-
legiolani prope ſ.
Idus Auguſti.
CIↃ. IↃC. LVII.

Oratio Gratulatoria Inauguration Honoratiſſimi Domini, Domini RICHARDI CROMWELLI, Sereniſſimi *PROTECTORIS* Filii Natu Maximi, in Inclytæ *Oxonienſis Academiæ CANCELLARIATUM Conſecrati*, *Celebrandæ ab Autore Deſtinata.*

Bonarum Literarum Autori & Conſervatori Deo acceptum referimus, quòd poſt octingentos annos proximè elapſos, (etiam in afflictiſſimis Temporibus) Academiæ *Oxonienſi*, nunquam diu defuit Patronus. Ut enim Junonis Arbori, (penès *Virgilium* ſit fides) *Ramus* ſaltem unus Aureus nunquam defecerat; quin unius

nius avulsi loco statim Alter succreverat;

---(*primo avulso, non deficit Alter Aureus*) sic apud nos, Alteri Cancellario concedenti, subitò, licèt haud insperatò, succedit Alter. Avulso Patri, quàm genuinè, & quasi hæreditario Jure succedit Filius! Ausim dicere, *Avulso*. Qui aliter sentit, Constantiam *Ejus*, & Suavitatem ignorat. Etenim ab iis ægrè divellitur, quos semel est amplexus; nedum illâ de nobis Curâ se prorsus exuet, tam sitienter à nobis expetitâ; tam comiter ab *Illo* susceptâ; immo tunc temporis, cùm primulùm per nuntios suos *Ipsi* adversus SCOTOS Bello fulminanti, vota sua significaret Academia. Licèt enim ab

angustiore gyro evocatus, Augustissima capessat, & nunc jam in implicatioribus Regni negotiis expediendis versetur, ut Summæ consulat; nihilo tamen secius, Animo suo, nos identidem respectat, *Oxoniamque Suam* ferre in oculis nunquam desistet. Sed neque tamen diffitemur *Illum* destitisse à munere, at non ab onere; à Titulo Suo, non à Suorum Patrocinio. Adeo ut jam tandem Duos, Optimos, Optatissimos Illos, Cancellarios sortiti simus; Unum Nomine, Reapse Duos. Perinde quasi Illustrissimus Pater, Ejusque Honoratissimus Filius, Reipublicæ nostræ Literariæ, juxtà ac Civili promovendæ, compositò studerent. Ergo, desine, Malevo-

le, (quiſquis es) malè ominari; neve putes, (nedum ſperes) *Bonas Literas Eccleſiæ & Reipublicæ Columnas deturbatum iri*; aut *Liberalium Scientiarum Orbes* poſſe corruere, qui Gemino Hoc Atlante Suſtinentur. Tu autem (*Honoratiſſime, Deſideratiſſime Cancellarie*) qui Titulum, & *Cancellariatum* Patris Tui meritò ſuſcepiſti; Curam etiam & Tutelam noſtri ſuſcipere nè graveris; & *Oxonienſes Muſas*, ex *Ejus* ſinu in *Tuum* devolantes, clementer (Te Obteſtamur) excipe, exceptas fove; caſdemq; deſiderio Tui Languentes, aliquando Vultu Tuo, & Affatu, quaſi quintâ parte Nectaris, imbue. Tu, inquam; quem, in *Cancellarium Suum*, noſtra,

noſtra

noſtra autem? Immo *Tua*, immo nunc *Tua*, Communi ſuo ſuffragio & applauſu delegit *Academia*; indubium futurum, & ſtudiorum Suorum Fautorem, & Privilegiorum Vindicem. Interea temporis, Sis Tu (quod etiamnum Es) Virtutis Præſidium, cujus luculentiſſimum Exemplum omnibus affulges; & Novum hoc Famulitium Tuum, Magni Patris Tui Autoritate tuere; quod Benignitate propriâ tam amanter es complexus. Etenim in Te Uno (ſecundùm Illuſtriſſimum Patrem) Salutem & Felicitatem noſtram eſſe poſitam, non minùs exultamus, quàm proni agnoſcimus. Ac proinde, hæc Vota noſtra, quæ Tua ſecuta ſunt merita

rita, impræsentiarum Tibi nuncupavimus, *Cui* aliquando debebimus MAJORA.

Hæc summâ cum Obſervantiâ quàm humillimè ſcripſit

Oxonii 5° Calendas Auguſti
CIↃ. IↃC. LVII.

Joannes Harmarus
Linguæ Græcæ apud Oxonienſes
Prælector Publicus.

Ad Libellum Suum.

Esse liber tantâ cautus brevitate videris:
At forsan multis sic quoque Longus eris.